AD LECTOREM TRIGONOMETRIAE studiosum.

QVi Cœli, atque soli, & sinuosos æquoris arcus
Metiri, & curuos vis numerare gradus;
Quique per expansum tensas cognoscere rectas,
Mensurat radio quas GEODÆTA suo:
Mathematica instans operi, LOGARITHMIS vtere, quos hîc
Rara Caledonij, dat Baro, gemma soli.
Frustrà erit hinc multis tabulas extendere chartis:
Frustrà erit & calamo crebra litura tuo.
Quæ nisi multiplici nunquam potuere priores,
Actu vno hîc facili tu numerare queas.
Ad SOPHIAM quid ferto noui, quod pristina vincat,
Quisquis ab ingenio nomen habere cupis.

PATRICIVS SANDÆVS.

IN LOGARITHMOS D. I. NEPERI.

REgiomontanus fertur per apheræsim, atque
Prosthesin ignotos elicuisse sinus:
Atque aliquos aliquot sinuum quæsita Logistas
Consimili legimus notificasse modo:
Nmo tamen cunctos poterat sic soluere nodos,
eAut certâ rectam lege docere viam.
Musarum NEPERVS honos, & gloria gentis
Scotigenæ, paruo præstat vtrumque libro.
Nomine sic NEPAR, PARILI fit & omine NON PAR,
Quum nou hac habeat NEPAR in arte PAREM.

ALIVD.

BVCHANANE tibi NEPERVM adsciſce sodalem,
Floreat & nostris *Scotia* nostra viris:
Nam velut ad summum culmen perducta Poësis
In te stat, nec quò progrediatur habet:
Sic etiam ad summum est culmen perducta Mathesis,
Inque hoc stat, nec quò progrediatur habet.

ANDREAS IVNIVS.

Philosophiæ Professor in Academia Edimburgena.